

§. 5. SOL est Planetarum præcipuus, fons & origo caloris & lucis mundanæ, qui motu comuni Diem, propriò verò Annum, describit. Circa Solem, vertigine menstruâ quoq; se convertentem, instar fuliginum & exhalationum conspicua nonnunquam Meteora, hoc ævo primùm observata, quæ faculis & maculis distinctam ejus redant faciem, unâ cum combustivâ radiorum vi, jam olim cognitâ, substantiam ejus igneam esse palàm testantur. Rotundus est, & pleno vultu lucet, nisi quod Eclipsi quotannis ferè bis per subeuntem Lunam afficiatur, inequaliq; perimetri compressione per aërem refringentem oriens aut occidens in Ellipsin opticè transformetur.

§. 6. LUNA est Planetarum infimus, de se obscurus, sed lucem noctu clarissimam à Sole in Terram vario vultu reflectens, motu proprio mensem describens.

Luna cum Sole, tanquam Regina cum Rege, propter lucis in terram sparse copiam Luminaris nomen commune habent: hinc reliqui Planete, multò minus lucis spargentes, atriusq; respectu dicuntur Stipatores. Cæterum superficies Lunæ non tantum montibus & vallibus interstineta, sed & partibus pellucidioribus aliis, aliis opacioribus, prædita, maculosam faciem refert. Macularum autem lunarium aliquæ dicuntur antiquæ, h. e. ab omni ævo nudo visu conspicuæ, quæ nihil aliud sunt, quàm areolæ pellucidæ superficie gaudentes, quâ radii solares Lunam illustrantes maximam partem absorbentur, ut paucissimi versus Terram resiliant, unde lumen debilius exhibent: Reliquæ maculæ dicuntur novæ, quod Telescopii auxilio primùm hoc seculo sint observatæ, quarum quedam eandem cum antiquis rationem, eandemq; constantiam habent, & exiguitate saltim ab iis differunt; quedam nihil aliud sunt, quàm areolæ montium lunarium umbrâ perfusæ, & ita debilioribus, imò nullis radiis oculum nostrum adficientes, quæ, cum pro vario situ Solis umbræ montium varient, modò majores, modò minores apparent, modò prorsus evanescent.

Cæterum Luna, præter lucem quasi primariam, diversis phasibus nocturnas tenebras diluentem, secundariâ quoq; luce prædita est, quæ in parte aliàs obscurâ, si Luna Soli propior fuerit, vel nudo visu discerni potest. Ea verò nequaquam Lunæ propria est, sed à radiis Solis, ex Terrâ nostrâ versus Lunam reflexis dependet.

§. 7. SATURNUS est Planetarum supremus, & tardissimus, quippe motu proprio 30. demum annis totum circuitum absolvens.

Corpus